

**“Esse aut Non Esse”
Marion, Thomas, Anslemus et Logica Libera**

Gualterius (Walter) Redmond

Scholastica proprietatum terminorum doctrina rediviva apparuit in multigenis controversiis recentibus (quod partipicibus raro notum videtur)¹ velut de semantica (in re “suppositionis” ac “significationis”), necnon de theoria scientiae, de theologia philosophica. “Logica libera” in quibusdam quaestionibus resolvendis adhibita est, in aliisque forsitan adhibenda². Nonnullas meditationes modestas in hac rerum complexione offero: de “Deo absque esse” a Johanne-Luca Marion proposito, de terminis “non-supponentibus” a Bas van Fraassen aliisque investigatis, de “ontologico” Sancti Anselmi argumento iterum in logica libera formulato³.

Deus bonus qui non est

Johannes-Lucas Marion, ut inter omnes constat, Deum adeo diversum a creatis concepit ut eum “sine esse” olim describere mallet⁴. Nec plane liquet quid lucri theologici fuerit Marioni, qui nonnulla attributa tum de ejus “Deo qui non est” tum de creaturis praedicavit, negare tamen eum “esse”. Hujusmodi ἀπόφασις

¹ Confer Ignatii Angelelli, *Studies on Gottlob Frege and Traditional Philosophy* (Dordraci: D. Reidel, 1967) et Gualterii Redmond, “*Deum Esse* en Tomás de Aquino y Gottlob Frege” *Ciencia Tomista*, vol. 141, n. 453, 2014, pp. 109-119.

² “Logica libera” (vide infra) non est nisi “logica classica” (functionalis primi ordinis calculus) regulis quantificationis ita mutatis ut termini expresse confirmantur “supponere” vel “suppositionem habere” (“suppositio” hic summenda est tamquam “denotatio” vel *reference* vel *existential import*; “non-supponens” = *non-referring*). Vide *Philosophical Applications of Free Logic*, curante K. Lambert, Novi Eboraci, ad Prelum Oxoniensem, 1991, 257-272, 3-14.

³ Bas van Fraassen, “Singular Terms, Truth-value Gaps, and Free Logic”, *Journal of Philosophy*, vol. 63, n. 17, 1966, pp. 481-495; W. E. Mann (J. Berg sequens), “Definite Descriptions and the Ontological Argument” in *Philosophical Applications of Free Logic*, op. cit., 257-272.

⁴ *Dieu sans l'être. Hors-texte*, Parisiis, Artheme Fayard, 1982 et Parisiis, Quadrige, 1991; altera editio emendata atque amplificata, 2002.

postmoderna certe admirationem moveret, immo reapse movit⁵, Homini Judaeo-Christino, qui nomen Dei ex verbo “esse” sumpto confiteri est solitus (“Sum” = “הָיָה”, sed et theologis, apprime velut Sancto Thomae Aquinati, qui Deum tamquam *esse* aliquo modo existimabat, ceterum censuit:

non enim bonitas vel humanitas significatur in actu nisi prout significans eam *esse*,

philosophis ut Edithae Stein, que annotavit

certe vita tamen forma est *totus esse*,

demum mysticis ut Magistro Ekhardo:

cum autem dicebam Deum nullum ens esse eumque *supra* ens esse, nolebam ei subtrahere esse; potius esse in eo efferabam⁶.

Logica Dei

Nihilominus talis sententia, quam “theologiam M” (sive a Marione revera approbatam sive non) nuncupabo, notatu digna est *ex parte logicae*. M enim “suppositionem terminorum” admittit dum de praedicato “quidditativo” agitur de Deo, non autem de Deo essendo. Haec distinctio in logica classica exprimi licet ope regulae “introductionis quantoris existentialis” vocatae (IQE). Nam juxta M hae consequentiae sunt bonae (ubi symbola manifesta sunt):

⁵ Marion tandem sententiam de Deo non essendo aliquantum mitigavit in praefatione editionis Anglicae, *God without Being. Hors-texte*, conversae a T. A. Carlson, Chicagiae, ad Prelum Universitatis Chicagiensis, 1991, p. xxiii, 72-73.

⁶ Exodus 3:14; Thomas: *Summa theologica*, 1:3:4; Stein: “Leben ist ja doch eine Form des Seins”, *Potenz und Akt*, p. 192; Ekhardus: “Daz ich aber gesprochen hân, got ensî niht ein wesen und sî über wesene, hie mite enhân ich im niht wesen abegesprochen, mêr: ich hân ez in Mim gehœhet”, Contio 10, “Quasi stella matutina...”, *Deutsche Werke*, I, p. 146, 4 et ss.

<i>Latine</i>	<i>symbola</i>	<i>justificatio</i>	<i>judicium</i>
1) Socrates est magister Platonis ergo	$s=m^7$	hypothesis	concessum in M
2) Socrates est	$Ex(s=x)^8$	1 IQE (x/m) ⁹	ratum in M
1) Socrates est bonus ergo	$s\in B^{10}$	hypothesis	concessum in M
2) aliquid est bonum	$Ex(x\in B)$	1 IQE (x/s)	ratum in M

Ex altera autem parte, theologia M, cum Deus non esse supponatur, usum regulæ IQE obstruit in his consequentiis:

1) Deus est amor ergo	$d=a^{11}$	hypothesis	concessum in M
2) Deus est	$Ex(d=x)$	1 IQE (x/a)	irritum in M
1) Deus bonus est ergo	$d\in B$	hypothesis	concessum in M
2) aliquid bonum est	$Ex(x\in B)$	1 IQE (x/d)	irritum in M

Logica libera

Nunc vero in logica libera *nullae* harum consequentiarum permittuntur¹², cujus ratio est quod termini singulares (= nomina vel descriptiones) *non assumuntur supponere*. E contra, expresse affirmandum est terminum esse supponentem, quod fit per regulam “inductionem quantoris existentialis in logica libera permissam” (IQEL). M igitur primas duas consequentias (opinari licet) approbare:

⁷ Formula “s=m” significat “s identicum est cum m”. Litterae “s” et “m” sunt termini singulares; “s” pro nomine sumitur, “m” vero pro descriptione (quae unum solum seligit).

⁸ “Ex” est quantor existentialis; formula “Ex(s=x)” legitur ut “x ita est, ut s identicum sit cum x”.

⁹ Signum “x/a” significat “x in locum a ponitur”.

¹⁰ “s∈B” est “praedicatio”: B de s praedicatur seu enuntiat.

¹¹ “Deus est amor” ut identitatem “d=a” logice interpretor, quod in M quomodocumque exponi poterit.

¹² Van Fraassen, op. cit., p. 492.

1) Socrates est magister Platonis	$s=m$	hypothesis	concessum in M
2) magister Platonis est	$Ex(m=x)$	hypothesis	concessum in M
ergo			
3) Socrates est	$Ex(s=x)$	1,2 IQEL (x/m)	ratum in M
1) Socrates est bonus	$s\in B$	hypothesis	concessum in M
2) Socrates est	$Ex(s\in x)$	hypothesis	concessum in M
ergo			
3) aliquid est bonum	$Ex(x\in B)$	1,2 IQEL (x/s)	ratum in M

Theologia vero M talem usum regulae IQEL, negatis secundis praemissis, (ex conjectura) prohiberet:

1) Deus est amor	$d=a$	hypothesis	concessum in M
2) Amor est	$Ex(a=x)$	hypothesis	negatum in M? ¹³
ergo			
3) Deus est	$Ex(d=x)$	1,2 IQEL (x/a)	irritum in M
1) Deus est bonus	$d\in B$	hypothesis	concessum in M
2) Deus est	$Ex(d\in x)$	hypothesis	negatum in M
ergo			
3) aliquid bonum est	$Ex(x\in B)$	1,2 IQEL (x/d)	irritum in M

Juxta theologia M ergo magnum discrimen in esse affirmando inter ambitum divinum creatumque sic exprimitur: neque ICE neque ICEL in “terminis divinis”¹⁴ valent. Notabile autem est de regula ICEL quod nullus terminus supponit (nisi supponere aperte dicatur), ac proinde nomen Dei (vel descriptio velut “esse subsistens”, “primum ens”, “creator”...) erit non-supponens, nec igitur propositiones ea continentes in eo sensu “hiatus” habebunt quod nec ut verae nec ut falsae

¹³ M propositionem $Ex(a=x)$ idcirco non accipere videretur quod $Ex(d=x)$ implicaret ($\sim Ex(d=x) \gg \sim Ex(a=x)$).

¹⁴ Commendanda est praestans tractatio, “De Modo Syllogizandi in terminis divinis”, ab Ildephonso Gutiérrez a Vera Cruce conscripta, *Recognitio Summularum* (editio Mexicana, 1554), 59rB-61rA et (Salmanticensis, 1573), 112A-115A. Vide Gualterius Redmond, “Friar Alonso on the Logic of God”, *Vivarium*, vol. 32, n. 2, 1994, pp. 227-260, et “Fray Alonso sobre la lógica de Dios,” versio Hispanica ipsius tractatus Latini, *Saber Novohispano*, n. 1, 1994, pp. 31-43.

reputantur¹⁵. Quapropter in logica libera dicendum est dissertim terminos (omnes, non solum “divinos”) supponere.

Quod si logica classica cum libera conferenda sit, non solum regula classica IQE convertenda erit in IQEL, sed et altera logicae classicae regula, “eliminatio quantoris universalis” (ECU), mutanda erit in parilem regulam “eliminationem quantoris universalis in logica libera permissam” (ECUP). Nempe in logica classica licet hanc consequentiam facere:

1) omnia bona sunt ergo	$Ax(x \in B)$ ¹⁶	hypothesis
2) Socrates bonus est	$s \in B$	1,2 EQU s/x

quae quidem consequentia in logica libera, cum (ut ita dicam) *nihil* praesumitur bonum esse, non valet. Attamen in logica libera, ubi primum existentia Socratis affirmetur, licet colligere Socratem esse bonum, regulae EQUL gratia:

1) omnia bona sunt	$Ax(x \in B)$	hypothesis
2) Socrates est ergo	$Ex(s=x)$	hypothesis
3) Socrates est bonus	$s \in B$	1,2 EQU s/x ¹⁷

Ambas regulas EQUL et IQEL conjungi possunt in hac probatione:

1) omnia sunt bona	$Ax(x \in B)$	hypothesis
2) Socrates est ergo	$Ex(s=x)$	hypothesis
3) Socrates bonus est	$s \in B$	regula = 1,2 EQU s/x
4) aliquid bonum est	$Ex(x \in B)$	regula = 2,3 IQEL x/s

¹⁵ Vide van Fraassen, op. cit. p. 487.

¹⁶ “Ax” quantor universalis est; formula legitur “pro omni x, x est bonum”.

¹⁷ Vide van Faassen, op. cit. p. 489.

En exemplum de identitate:

1) omnia sunt sibi identica	$Ax(x=x)$	axioma ¹⁸
2) Socrates est	$Ex(s=x)$	hypothesis
ergo		
3) Socrates sibi identicus est	$s=s$	1,2 EQUL s/x (bis)
4) aliquid sibi identicum est	$Ex(x=x)$	2,3 IQEL x/s (bis)

Anselmus

Ontologicum existentiae Dei argumentum (a Sancto Anselmo saeculo XI excogitatum) in logica libera recenter reformatum est¹⁹; de quo jucundum esset conjectare quid theologia M opinaretur.

Primum omnium Deus est definiendus “modo Anselmiano” sicut “id-quo-majus-cogitari-nequit” (“p”, utpote Deus est “perfectissimus”). In logica classica (haud autem in logica libera) haec consequentia logice bona est, non tamen epistemicæ (est enim quasi petitio principio, cum Deum esse in prima praemissa jam praesumatur):

1) Deus est id-quo-majus-cogitari-nequit	$d=p$	hypothesis (“Deum esse” latet)
ergo		
2) Deus est	$Ex(d=x)$	1 IQE x/e

Contra, in logica libera sequens consequentia, cum id-quo-majus-cogitari-nequit asseratur esse, erit logice rata x (evitata tamen principii petitione):

1) Deus est id-quo-majus-cogitari-nequit	$d=p$	hypothesis
2) id-quo-majus-cogitari-nequit est	$Ex(p=x)$	hypothesis
ergo		
3) Deus est	$Ex(d=x)$	1,2 IQEL x/e

Patet sane difficultas: quomodo tandem scimus *esse* id-quo-majus-cogitari-nequit? Namque secunda praemissa nondum demonstrata est. Sanctus Thomas similem objectionem fecit:

¹⁸ Ibid., p.488.

¹⁹ W. E. Mann (J. Berg sequens), “Definite Descriptions and the Ontological Argument”, *Philosophical Applications of Free Logic*, op. cit., 257-272.

nec potest argui quod [Deus] sit in re nisi daretur quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest [p], quod non est datum a ponentibus Deum non esse,

Sic enim *eandem fere probationem* efformavit et eadem ratione rejecit: quod scilicet altera praemissa non demonstrata est. Ex altera autem parte, juxta theologiam M, ut consecutionem hujus argumenti obstruat, neganda est secunda praemissa, saltem non affirmanda.

Nunc vero in argumento ontologico in logica libera formulato, *haec ipsa secunda praemissa demonstratur*, quin assumatur; scilicet: est quidem in re aliquid quo-majus-cogitari-non-potest. Altera praemissa $Ex(p=x)$ non est hypothesis sed *conclusio* quae ex *aliis sumptibus* sequitur.

Ad integrum argumentum ontologicum in logica libera expressum patet “praemissa Ansemiana” esse includenda; videlicet: “si id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit non est, nec erit quo-nihil-majus-cogitari-nequit”. Haec propositio, ut exprimatur, praedicato eget “quo-nihil-majus-cogitari-nequit”, quod “P” appellabimus; videlicet: “id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit est quo-nihil-majus-cogitari-nequit”, seu “ $p \in P$ ” Praemissa Anselmiana ergo tamquam $\sim Ex(p=x) > \sim (p \in P)$ apparebit: “p, si omnino non est, nec est E”; rursus: si “p” est terminus non-supponens, tunc cogitari potest algo majus, nempe: quod per terminum supponentem indicaretur.

Probatio igitur sic se habet, ubi passus 3-5 *iidem* sunt ac passus 1-3 argumenti modo allati (quod sane paucum ab interpretatione Sancti Thomae distat); aliis verbis, sequens probatio priorem *continet*). Animadvertatur in praemissis *nullam existentiam* affirmari; aliis verbis, termini non assumuntur supponere.

- 1) si id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit non est, nec erit quo-nihil-majus-cogitari-nequit
 - 2) id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit est quo-majus-cogitari-nequit
 - 3) Deus est id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit
- ergo
- 4) id-quo-nihil-majus-cogitari-nequit est
 - 5) Deus est

Vel symbolice:

1)	$\sim \text{Ex}(p=x) > \sim \text{Ee}$	hypothesis (“praemissa Anselmiana”)
2)	Ee	hypothesis
3 = 1)	$d=p$	hypothesis
ergo		
4 = 2)	$\text{Ex}(p=x)$	1,2 modus tollens (hic passus 4 nonjam est praemissa)
5 = 3)	$\text{Ex}(d=x)$	3,4 IQEL x/e

Suasorem tamen theologiae M, ut consecutionem obstruat, aut logicam liberam rejicere oportet aut, si admitterit, negare (vel non accipere) unam saltem ex tribus praemissis, quarum tamen termini sunt non-supponentes.

Recibido 24/04/2016
Aprobado 01/06/2016